

CCCLVI.

R. 3042 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 168. f. per duas columnas commode scriptus, rubricis distinctus, et prius *Monasterij S. Dorothee virginis et martiris Wienne canonicorum regularium*, hoc Rubrum praefert: *Liber aurelij Augustini de Cognicione vere vite per modum dialogi. Et quidem hic inter Augustinum et Fratres; alias vero inter Magistrum et Discipulos; rectius sane, nam Honorii Augustodun. Libellus est, ut bene docent Mauriani T. VI. Opp. August. in Monito praevio Append. col. 168. Init: Sapientia Dei que os mutum aperuit &c.*

Fol. 11. succedunt: *Sermones beati Bernhardi super librum qui per excellentiam dicitur Cantica canticorum. Hi Sermones, quorum initium: Vobis fratres alia quam alijs de seculo &c. saepius jam a nobis indicati hoc Exemplo LXXXII. sunt, ita ut ex editis T. IV. Opp. omn. Maur. col. 1267. deficiant quatuor, videlicet 70. 84. 85. 86. Textus satis castigatus.*

CCCLVII.

U. 276 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 151. f. caractere luculento a variis, partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus, rubricis distinctus, et quondam *Joh. Fabri Ep. Vindob. varia complectitur, quae ordine recensimus. I. quidem Incipit liber exortationis. Beati augustini.*

ad quendam amicum karissimum sibi. Ita videlicet: O mi frater. si cupias scire quamvis ego nesciam &c. De salutaribus Documentis ad quendam Comitem inscriptum restituerunt Mauriani Augustini Editores T. VI. Append. col. 193. Paulino Ep. Forojul. Sec. VIII. Scriptori, et vacillasse Librarium nostrum Rubrica, quam dedimus, partim extrita et refecta indicat. Abrupit ille mox Opusculum in verbis: nisi fiat in amore eius voluntas nostra. Immo nec hoc — —. Sed fol. 59. ad illud reversus usque ad fol. 81. integrum dedit, in cuius Rubrica nomen Augustini iterum a secunda manu rescriptum quivis observat. Seculo igitur XII. Exemplaria Paulinum, aut quemvis alium ab Augustino praefertentia non defuisse videntur.

II. fol. 2. *Incipit epistola Hincmari. Remensis archiepiscopi. ad Karolum Regem. Domino Karolo Regi Gloriosissimo hincmarus Nomine. Non Merito Remorum episcopus ac plebis dei famulus. mitto vobis sicut iussistis epistolam beati gregorii ad regaredum regem wisigothorum &c. Retuli jam Vol. I. P. 2. col. 2292. bina Tractatus hujus epistolaris de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis Exempla ad Carolum Calvum. In praesenti Codice non nisi Gregorii Epistola, et Peroratio: Hec Rex Clarissime atque carissime accepta opportunitate &c. minio distinguuntur, reliqua indivisa decurrunt, neque notabiliter differunt ab Edit. Jac. Sirmondi Opp. Hincmari T. Poster. Paris. 1645. p. 29. f.*

f. Sequi nunc *Paulini Exhortationem* jam supra monui.

III. fol. 81. p. 2. Συλλογή πια-
rum Precum praecipue ad patientem
Servatorem, quarum postremae:
Domine Jesu Christe deus omnipotens, qui hanc congregationem ad glorificandum nomen tuum sanctum in hoc loco adunari permisisisti, da nobis famulis tuis adiutorium tuum sanctum de caelis, ne paciamur detrimentum animarum nostrarum, et ne des hanc congregationem in dispersionem propter nomen tuum; sed qui post baptismi sacramentum secundam abolitionem peccatorum elemosinis indidisti, respice propicius fideles tuos, de quorum operibus tibi gratiae referuntur. Fac eos premio beatos, quos fecisti pietate deuotos. Recipiant pro paruis magna, pro terrenis caelestia, pro temporalibus sempiterna. Ita sensatae sunt etiam praecedentes, et religiosae cuidam Familiae inservivisse videntur.

IV. fol. 82. Incipiunt *Sermones Magistri Petri Longobardi*. Prope accedit nitide scripta haec Collectio ad Autoris, qui Episcopus *Paris.* et vitae annum 1160. ultimum habuit, tempora. Pretium ejus inde crescit, quod eorum, qui de Viro hoc celebri tractavere, neminem reperio, a quo *Sermones* scripsisse memoretur, praeter *Henricum Gandav.* a. 1293. mortuum, qui c. 31. de *Scriptt. Eccl.* testatur: *Inveniuntur etiam Sermones aliqui de diversis solennitatibus ab ipso scripti.* Et eccos. Numero sunt XXVI. et quidem III. primi in *Aduentu domini.* IV.

in *Circumcisione.* V. in *Epiphania.* VI. in *Purificatione S. Mariae.* VII. in *Septuagesima.* IV. sequentes tempore *Quadragesimae.* XII. in *Palmis.* XIII. in *Annuntiatione S. Mariae.* XIV. in *cena Domini.* XV. in *receptione Penitentium;* eadem nempe, ut ex ipso *Sermone* liquet, die. Sequentes VIII. de *Passione et Morte Christi.* XXIV. de nomine *Christiani.* XXV. in *media XL^{ma}.* Demum XXVI. ad *uincula sancti Petri,* alia sed aequae vetusta manu adjunctus. *Sermones* paene omnes a *Textu biblico* ducuntur, et I. quidem ab illo *Dan. c. 7. v. 13. Aspiciebam ego in uisione noctis &c.* in hunc modum: *Celestibus danibel flagrans desideriiis. unde ab angelo eius intelligentie ministro uir desideriorum uocari meruit. accepto diuinitus intellectu per angelum. effudit super se animam. ut in admirabilis pertransiret secretum contemplationis. et inuestigabiles diuitias sacramenti absconditi a seculis in deo perciperet. hoc est misterii incarnationis uerbi. quod erat in principio apud patrem. de quo iheremias ait. nouum faciet dominus super terram. mulier circumdabit uirum gremio uteri sui. hec est uirgo sacra que operante spiritu sancto sine uiri accessu filium patri omouison. i. consubstantialem. de sua substantia concepit et peperit. ut qui erat in diuinitate dei filius. fieret in humanitate hominis filius. non duo filii. sed unus homo christus ihesus. quod est inauditum et ineffabile. Recte igitur uir desideriorum ait non simpliciter filius hominis. sed quasi filius*

lius hominis. quia non tantum hominis sed et filius dei est. Seruata namque utriusque naturæ ueritate et proprietate lumini deitatis accessit testa humanæ infirmitatis. ut esset lumen in testa. uerbum in carne. deus in homine. Hic est lapillus ille paruus de monte sine manibus præcisus &c. Magistrum Sententiarum audis in sacris Literis versatissimum; sed non minus mores his Sermonibus format et affectu pollet. Itaque mihi non tempero, quin *Serm. XXII.* ingressum adscribam. *Egenus sum ego et pauper domine. et claudus ex utero matris meæ. et ecce sedeo ad portam templi tui quæ dicitur speciosa non ualens nec uolens introire. quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ aereas et falsas imagines hominum. ut coaceruem mihi talentum iniquitatis. fasciculos deprimentes. et ecce hora nona est. Ascendit petrus et iohannes apostoli tui. ut orent ad templum sanctum tuum. Ego autem hereo terre et luto terrena et uana sapiens. et aliis introeuntibus ego foris remaneo cum aliis non querens ea quæ patris mei sunt. sed quæ primi parentes mei. qui me huc foras cotidie ponunt. male concupierunt. Et certe hora iam orationis nona est. inclinata est dies. prope est nox. cum surrexero mane diluculo de his quæ nunc mendico nihil in manibus meis reperiam. Hora orationis nona est. Orasti enim hora nona pendens in cruce. Orasti inclinato capite. clamans uoce magna expirasti. Orasti inclinato capite in spiritu*
 Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

humilitatis. clamans uoce magna. secretissimo affectu paternæ et nostræ caritatis. et in illo domine clamore ualido expirasti. et eundem quem de nobis tunc habebas compassionis animum tecum asportasti. et credo domine quod adhuc tecum reservas. quia caritas tua refrigescere nescit. &c. Egregium Παθος et nihil infra Bernhardum *συγγεγονο!* Sermo postremus incipit: *Sollemnem obseruantiam huius festiue diei a ritibus gentilium superstitionum in religionem commutatam suscepit ecclesia dei &c.* et totus historicus est narrationem ab *Augusti* uictoria *Adiaca*, menseque *Sextili* deinceps *Augusto* dicto usque ad *Petri* Catenas *Hierosolymæ* ab *Judæo* quodam *Eudoxiæ* Aug. oblatas, *Romam* perlatas, et inde institutum festum diem texens, mentione quidem *Romanarum* etiam *Catenarum*, sed nullius inter utrasque coalitionis facta. Ut dicam, quod sentio, *Sermo* hic cum ob aliam, qua exaratus est, manum, tum præcipue ob *methodi*, stitque diuersitatem ad *Petrum Lomb.* pertinere non uidetur, luce tamen nihilo ceteris minus dignus.

Codicem olim Monasterii *Mellicensis* in *Austria* infer. fuisse suadet pag. ult. Epistola Abb. *Johannis*, qui fuit hoc nomine II. et totius conventus significans foederatis *Coenobiis* O. S. Ben. et Collegiis *Canonicorum* Reg. obitum *Monachorum* *Petri de Stain*, *Wolfgangi dicti Grill*, et *Ludouici* pariter II. *Abbatis*, cui apud *Anselm. Schramb P. IV. Chron.*
 Ddd Mel-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 974

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

787

C O D I C E S

788

Mellic. p. 294. lapis sepulchralis diem mortis adsignat festum *Matthaei Apost.* Epistola vero nostra *XI. Kal. Septembr.* lapsu Scribae pro *Octobr.* Data est in Festo Sancti Archangeli Michaelis Anno Domini MCCCCX.

CCCLVIII.

R. 19 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 106. f. per 2. columnas fat bene scriptus, et rubricis distinctus, olim *Congregationis*, ut praenotatur, *Sanctae Justinae deputatus monasterio Sancti Seueri-*

ni neapoli, et assignatus ibi foresterie, sive Parti Aedium, qua Hospites recipiebantur, completitur: I. Sermones LVI. ex iis, quos Impositores quidam, et deinceps ignorantis Homines ad Fratres in Eremito inscriptos Augustino tribuerunt, Mauriani vero in Append. T. VI. col. 305. rejecerunt, quorum lege sis Admonitionem praeviam. Rubrica Serm. I. est: Sermo sancti Augustini episcopi de uita Solitaria heremitica et Contemplativa. En Seriem Codicis cum Editis collatum:

Codex.	Editio.	Cod.	Edit.	Cod.	Edit.
1.	39.	21.	2.	41.	26.
2.	40.	22.	24.	42.	44.
3.	34.	23.	25.	43.	14.
4.	36.	24.	—	44.	15.
5.	—	25.	10.	45.	16.
6.	—	26.	29.	46.	17.
7.	—	27.	32.	47.	18.
8.	37.	28.	33.	48.	21.
9.	41.	29.	22.	49.	—
10.	42.	30.	3.	50.	23.
11.	38.	31.	4.	51.	19.
12.	31.	32.	6.	52.	20.
13.	30.	33.	7.	53.	28.
14.	27.	34.	8.	54.	46.
15.	55.	35.	9.	55.	47.
16.	48.	36.	11.	56.	22.
17.	—	37.	12.	—	—
18.	—	38.	13.	—	—
19.	—	39.	43.	—	—
20.	35.	40.	5.	—	—

Vides VIII. Sermones e nostris in Editione desiderari, et quidem sequentes: *Fol. 10. De moribus clericorum et eorum vita.* Init: *No-*

lite putare Fratres, quod alienum vobis sumpserim exordium &c. Varia de Horis psallendi et Confessionibus audiendis. M. Magdalena